



QUÆSTIONVM  
CONTROVERSARVM  
MATERIAM TESTAMEN-

tariam concernentium.

DECAS SEPTIMA.

Quam

SS. Triados adfistente gratiâ

In florentissimâ VVittebergensium Academia

PRÆSIDE

Dn. IOHANNÈ Reuter/ Bitterf.

Saxone,

Ordinarij exercitij gratiâ

Nobilissimis & Præstantissimis suis Collegis ven-  
tilandam exhibet

LUCAS Von Berge

Servesta-Anhaltinus.

Die 10. Octobr. Anni Iubilæi 1618. horisâ  
7. matutinis loco solito.

VVITTEBERGAE,

Typis Müllerianis.

14  
22  
1618  
3

Clarissimo, omnique  
Virtutis atq; eruditi  
laude conspicuo Viro  
M. Petro à Kena Sc  
lae patriæ Rectori &  
præcipuo, Præceptori  
Adm. nunc Fautorij sui  
singulariter colend  
mittit Regens.





V I R O

*Eminentissimo, singulari prudentiâ, eximiâ  
autoritate, multaq; rerum experientiâ  
Prestantissimo,*

**Dn. FRIDERICO GRAUBEN**

*Illustrissimo, atque Celsissimo Principi ac Do-  
mino, Domino RVDOLPHO, Principi An-  
haldino &c. à Consilijs intimis, & in aula, quæ est  
Servestæ, Praefecto meritissimo, gravissimo,  
Ἀγαθόχῳ meo devoto animi affectu at-  
têm prosequendo.*

*Nec non*

V I R I S

*Amplissimis, Prudentissimis, Consultissimis,  
doctrinâ pietateq; maximè conspicuis*

**Dnn, CONSVLIBVS, SYNDICO, RELIQVISq;**  
*laudatissimæ ibid: Reipubl. Consularibus  
Selectissimis, dignissimis.*

**Dnn, Mæcenatibus, Promotoribus, patronis ac favitoribus**  
*omni reverentiâ cultu perpetim honorandis.*

*Hasce studij mei Iuridici primitias  
in gratæ mentis μνημόσυνον, debi-  
tæ odservantiæ τεκμήριον, con-  
secrare, offerre volui, debui.*

*Respondens.*



## Cum Deo propitio.

**S**upra in §. *singulorum* *Instit. d. rer. div.* dictum est, dominia rerum duobus modis acquiri, sigillatim scilicet, seu particulariter, & per universitatem; Et qualiter singulæ res particulariter acquirantur, hætenus vidimus: commo- do nunc ordine sequitur videre, qualiter nobis res per Universitatem, & sic non una res sigillatim, sed multæ simul acquirantur: cujus acquisitionis modi in §. *fin. Instit. per quas personas cuiq; acquir.* & ibi *Mynsing.* plures recensentur. Et cum testante Julio Claro in §. *testam. in pr. lib. 3. receptar. sentent.* Nemo sit, qui nesciat, quantum testamentorum materia præ cæteris omnibus utilitate & subtilitate excellat; Quotidiè enim in Scholis & in foro versantur super ultimis defunctorum voluntatibus varix quæstiones: Item *quæst. 41.* affirmat, quotidiè per notarios confici testamenta publica forma. Meritò igitur de hac materia paucissimis erit agendum.

### Quæstio I.

*An testamentum sit juris gent. an vero  
juris civilis?*

Intentio Iustiniani fuit in posterum tractare de modis adqui- rendi legitimis & civilibus in §. *fin. Instit. d. usu & habit. Mynsing. in d. §. ibid.* Quod confirmatur §. 3. *Instit. d. testam. ordin.* ubi Iustini- nianus formam testandi partim juriciv. partim juripratorio, partim principum constitutionibus assignat. Unde quodcunq; formam alicui rei imponit, ex eo etiam ipsa res denominatur, cum forma dat esse alicui rei *arg. l. omnes populi ff. d. l. & l. l. l. 7.*

A 2

d. pact.



*d. pact. l. 1. d. contrah. empt. Dn. Gædd. in tr. d. contrah. stip. c. 2. concl. 1. n. 21. & 22. Mynsing. n. 10. Instit. d. tut. Heig. in pr. d. tutel. n. 12. 13. 14. Ad hoc concurrat §. 2. in verb. ad jus civile: Instit. d. testam. Ubi expresse statuitur, testamenta esse Jurisciv. & quia in §. 1. Instit. eod. nihil vult nos latere antiquitatis, idè refert, quid antiquitatis observatum fuit, qua relatione non habuisset opus Justin. si hæc materia proficisceretur ex Jure gent. Imò vero quatenus apprimè hoc notat, in d. §. 1. Videtur aliquid singulare velle intendere, quod videlicet omninò hæc materia ex Jure communi civili antiquo interpretanda veniat. Quin imò ex verbis 12. tabb. laxa erat licentia, testari & legare, uti quis voluit pro liberrima voluntate l. 120. d. V. S. & ibi Gædd. Idè testatorum gratia, ob id, quod plerumq; intestati moriebantur, provisum est, qua cavetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem totorum bonorum, id est, ut siue unus heres institutus sit, siue plures apud eum, eosq; quarta pars remaneat pr. Instit. ad L. Falcid. §. ant. heredis Instit. d. Legat. Borch. Instit. ibid. Præterea illud ex eo solo liquere potest, deficientibus aliàs reliquis argumentis, quod deportati non possunt facere testamentum l. 8. §. 2. qui test. fac. poss. l. 1. C. d. hered. Instit. l. 2. C. d. bon. possess. qui tamen non amittunt quæ sunt juris gent. l. quid in ff. d. pæn. Hinc igitur apparebit alterius, quàm juris gent: esse testamenta Br. in l. ex hoc jure ff. d. 1. & l. Vasq. d. success. creat. lib. 1. §. 1. n. 1. Matth. Steph. cent. 2. illustr. q. 51. Gædd. d. loco. Nonius latissimè in §. sed cum paulatim 2. & Vigl. in §. sed prædicta Instit. h. t. Regerere nobis quis posset. I. Quod peræque apud omnes gentes custoditur, Jure gent: introductum esse, dicitur in §. 2. Instit. d. I. N. G. & C. At & alij populi, præter Romanos, fatente tam sacrâ, quàm profanâ historiâ, testari possunt. E. Minor constat ex Genes. 25. item ex Borch. h. Resp. ad minorem, nobis hoc in loco non est quæstio, de quovis testandi genere, sed de eo saltem, quod usitatum est apud Romanos, legibusq; Romanis confirmatum. Et quamvis hic quoque testandi modus aliquid ex jure Gen. ob generis sui formam, quæ ultima voluntas, habeat admixtum, eoq; respectu sit Juris gent. quia tamen formam suam ex jure Quiritum habet, meritò huic juri soli in totum ascribitur arg. §. 2. Instit. d. patr. potest. l. 6. d. 1. & l. Illa.*



Illud igitur juris gent. manserunt, quibus nihil addidit in sua simplicitate jus commune, sed tantum comprobavit: Quod si verò aliquid, vel adiecit, vel detraxit, juris civilis res esse incipit, *l. jus civ. 6. ff. d. 1. & 1. Neq; spectari solet, utrum quid conveniat cum natura, nec ne, Er certe constat, in omni fere jure civili subesse debere naturalem rationem d. l. 6. ff. d. 1. & 1. §. 41. Instit. de rer. div. in tantum, ut & sæpè, mutato jure civ. supermaneat jus naturale §. 11. Instit. d. 1. N. G. & C. §. fin. Instit. d. Legit. agn. tut. §. 6. Inst. d. cap. dim. Quare id argumentum adversariorum nobis, ut dictum, non adeò refragatur, sed solummodò probat, quod & alij populi testari possint, idque ex jure gent. & naturæ facere illis licet *Dn. Vigl. ad §. sed prædicta h. t. Cujac. ad l. 1. ff. h. t. Reusner. p. 1. c. 5. n. 17. & s. qq. Ves. in par. n. 8. h. t.**

## Quæstio II.

*Utrum recte definiatur testamentum, quod sit voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit? Affirm.*

*Per l. 1. ff. qui test. fac. poss. hoc est secundum leges & solennitates Juris civ. l. 55. d. Legat. 1 ad differentiam testamenti injulti, quoniam injustum testamentum non est species testamenti, cum revera non sit testamentum l. 2. §. 1. quemad. test. aper. Nec in Republ. Rom. vires aut effectum ullum sortiatur: Sed testamentum in d. l. 1. ff. qui test. fac. poss. perpetam definiiri ait: Vult. ad pr. Inst. n. 16. I. hoc argumento: Definitio latior suo definito est vitiosa: hæc definitio ita est, quia etiam Codicilli & mortis causa donatio, & alia quævis ultima voluntas, est justa sententia voluntatis nostræ, de eo, quod quis post mortem suam fieri voluit. Resp. Iusta sententia in d. l. 1. significat sententiam, quæ jure facta l. 4. h. t. & quæ solennis, in qua solennia jura sunt adhibita per l. 1. in pr. d. injust. rupt. &c. Codicilli autè mortis causa donatio, & aliæ ultimæ voluntates,*



ex cepto testamento, nullam solennitatem ordinationis desiderant, §. fin. Inst. d. Codicill. & arg. pr. Inst. d. hered. quæ ab intest. de-  
fer. II. Si quis cum Vult. instet, hoc pacto excludi testamentum  
militis. Resp. Is ex Donell. sciat lib. 6. c. 4. solenne hic nominari  
tale, quale jus exigit in perfectis supremè voluntatibus. In tes-  
tamento autem paganorum plurimæ exiguntur solennitates l.  
21. C. d. testam. & libera concessa est ordinatio militibus, id est  
occupatis in expeditionum laboribus l. 1. in fin. d. testam. milit. l.  
pen. C. eod. Et quamvis aliarum solennitatum intuitu testamen-  
tum militare decidatur non solenne per l. 15. C. d. test. milit. Alia  
tamen solennitas nempe institutio heredis, in testamento mili-  
tis omnino necessaria l. 1. in f. d. vulg. & pup. subst. Dis. Si hard. ad  
rubr. C. d. testam. n. 4. cum Accursio, definitioni, quæ est in d. l. 1.  
apponens sequentia verba, cum heredis institutione. Quæ ta-  
men, ut superflua, sunt rejicienda quia solennitas illa etiam in  
heredis institutione consistit. Dis. etiam Bart. & alij tradentes,  
vocem Iusta in d. l. 1. idem esse, quod perfecta. Verum & Codicilli  
suam habent perfectionem, l. ult. & t. t. C. d. Codicill. Præ-  
terea argumentatur Vult. hanc definitionem esse angustioris de-  
finito, propterea, quod quædam testamenta sunt peregrino-  
rum, hoc est, eorum, qui non sunt cives Romani Vlp. in fragm. 1.  
20. §. 3. Resp. Sed id ipsemet solvit, inquit: Modestino in d. l. 1.  
propositum fuisse, docere tantum de testamentis civium Roman.  
Sed, ut dictum est, testamenta injusta non sunt hujus loci, &  
quamvis dici possint testamenta, abusive tamen, & improprie  
illa dicuntur testamenta l. 2. §. 1. quemad. rest. aper. Idcirco sub  
definitione, quæ habetur in d. l. 1. non consideratur testamen-  
tum injustum in tr. Gerh. disp. 7. th. 2. Don. 6. Comm. u. Duar. in l. 2.  
ff. qui Test. fac. poss. Iason. in l. non Codicillum C. d. testam. Alber. Gentil.  
lib. 1. lect. 6. c. 14. VVes. in pr. n. 7. h. t.

### Quæstio III.

Num testamentum valeat, in quo non sua  
sponte,



sponte, sed ad alterius interrogationem, per  
fraudem & extorsionem testator heredem  
nuncupat? Neg.

Quod probatur per l. 8. vers. at cum C. qui test. fac. poss. sola  
autem suggestio & abblandiæ testamentum non vitiant l. fin.  
C. si quis aliq. test. prohib. & l. fin. ff. eod. Definitor enim testamen-  
tum in l. 1. ff. qui test. fac. poss. quod sit voluntatis nostræ justa sen-  
tentia, itaq; testamentum, quod coactè factum est, atq; ad sug-  
gestionem alterius, nostra sententia dici nequit, quia pender ab  
alterius arbitrio contra l. 32. d. hered. Instit. VVes. in par. n. 8. h. t.  
nec est liberrima & spontanea voluntas, quæ expressè requiri-  
tur in testamentis, & quidem præcise l. 1. C. d. SS. Eccl. l. 12. in fin. d.  
leg. 1. Unde nec tutoris autoritate quis testamentum facere po-  
test l. 1. §. 1. d. tut. & rat. arg. l. 32. d. hered. Instit. l. 5. qui test. fac. poss.  
sic nec furiosus, §. 1. Instit. quib. non est. perm. fac. test. quia nula-  
lum habet consensum l. 5. d. R. I. Unde etiam ista hereditas, non  
ipsi suadenti, aut cogenti applicatur, sed legitimis heredibus  
l. pen. C. d. legat. N. 118. c. 3. l. 2. §. fratru autem ff. si quis test. aliq. prob.  
Cramer. disput. 11. th. 8. VVesemb. d. t. si quis aliq. testam. prohib.  
Duar. ibid. Nihil contra nos facit l. ult. C. si quis test. aliq. prohib. ibi:  
qui testamentum facere persuasit. Resp. hic prohibetur tantum vis,  
aut dolus malus, quamvis alias puniatur sola persuasio, ut in e-  
dicto de servo corrupto l. 1. §. persuadet ff. d. serv. corrupt. §. 8. inst. d.  
oblig. quæ ex delict. nasc. qui corrumpit persuadendo l. captatorias 70. ff.  
d. hered. instit. Duar. ad tit. si aliq. test. prohib. c. 3. pag. mibi 477. Ob-  
jiciunt nobis t. 1. Instit. & ff. d. pupill. subst. & dicunt, quod testa-  
mentum etiam sit voluntatis alienæ testatio, quia pater filio  
fam. impuberi testamentum condere potest, d. tit. Resp. Li-  
beri impuberes in potestate constituti, sunt una quasi perso-  
na cum Patre §. 7. Instit. d. VVucap. §. 3. Instit. d. hered. quæ ab in-  
test. defer. l. ult. C. d. inutil. stipul. §. 6. Instit. eod. §. 12. Instit. d. oblig.  
quæ ex delict. nasc. & consequenter unū utriusq; est testamētū §. i-  
gitur 2. §. liberis §. Instit. d. pupill. subst. VVes. ad §. 1. n. 1. Instit. eod. Fo-  
man. in disp. 14. lit. b. th. 3. & disp. 16. th. 6. Et hanc nostram opini-  
onem confirmat Constitutio Elect. p. 3. Constit. 5. Ubi tria pos-  
sunt



nuntur requisita, ut testamentum sit legitimum: ibi: Erstlich  
das der testator articalate, vnd verstendig reden könne / 2. Das er  
des Willens / vnd der Meinung sey / das er sein Testament machen  
wolle etc. 3. Das er nicht mit harten Worten oder vngestümmen  
anhalten / zu testiren gebracht worden. *Cramer. disp. Instit. pag. 174. th.*  
*7. disp. 11. Panschn. lib. 2. quest. jur. contron. q. 22. Moller. ad d. constit.*  
*Elect. Berlich. part. 3. conil. pract. 7. per tot. Beckius d. testam. Conjug. l.*  
*l. 1. c. 9. n. 7. Ita etiam pronunciatum est in Scabinatu lenensi die*  
*26. Novembris Anno 1603. testatur Foman. in prelect. ff. ad h. tit. quam*  
*formulam sententiæ habet Hartm. Pist. 2. q. 29.*

## Quæstio IV.

*Num Filiusfam. de adventitijs bonis, quorum  
Ususfr. patri non acquiritur, testamen-  
tum facere possit?*

Regula est, quod omnes personæ possint facere testamen-  
ta, nisi expressè illis sit interdictum per rubr. & pr. *Instit. quib. non  
est permis. fac. test.* Dum enim Imp. ait: non omnibus licere face-  
re testamentum. Inde hoc edictum dicitur prohibitorium, quod  
quibusdam interdicitur testamenti factio per d. *Rubr. Inst. h. t.*  
Pari modo & edictum de procuratoribus est prohibitorium,  
quia inspiciendum, an quis in Jure prohibeatur procuratorem  
dare l. 43. §. 1. d. *procurat. vid. Sichard. ad Rubr. C. qui test. fac. poss. n.*  
2. dicens: hoc edictum etiam esse permissorium, quod regula-  
riter omnibus sit concessum facere testamentum. Prohibetur  
autem testari quidam lege, quidam natura. Lege testari quis  
prohibetur, vel quod potestati alienæ sit subjectus, vel quod sta-  
tu careat. Alienæ potestati subjectus est vel in patria potestate  
vel dominica pr. *Inst. d. h. qui sui vel al. jur. sunt. E. Filiusfam. sive*  
*pr. Inst. quib. non est permis. fac. test.* adeò ut, quamvis ei pater per-  
mittat, nihilo magis tamen jure testari non possit l. 6. in pr. ff.  
*qui test. fac. poss. 2. facit l. 11. C. qui test. fac. poss. quod nemo in re-*  
*bus*



bus, quæ parentibus acquiri non possint, existimare debeat, per-  
missum esse facere testamentum: sed antiquam legem §. *fin. Inst.*  
*d. test. milit. l. fin. C. d. Inoffic. test.* per omnia conservandam, ut i-  
bid: quæ lex lata est Anno 531. & non multum aberit à *d. l. fin. §. 5.*  
*C. d. bon. quæ liber. cum utraq; scripta sit ad Johann. Præfect. præ-*  
*tor. ut patet ex inscriptione. 3. l. pen. C. qui test. fac. poss.* expressè  
dicit, quod filijsam, ne de ijs quidem bonis testamentum face-  
re possint, quæ parentibus acquiri non possunt. 4. Quia testa-  
menta sunt publici juris *l. 3. qui test. fac. poss.* Quod jus publicum  
pactis privatorum neq; dari, neq; adimi potest. *l. 38. ff. d. pact.*  
*l. 6. C. eod. Vasq. d. success. progress. lib. 1. §. 1. n. 4. VVes. cons. 17. n. 3.*  
*Dauth. d. testam. n. 154. Dn. Vult. ad pr. hujus tit. n. 11. Heig. h. n. 9. Spe-*  
*cul. tit. d. Instrum. edit. §. compendiose n. 4. Dd. in l. 6. in fin. pr. C. d.*  
*bon. quæ lib. add. Novell. 117. vers. filius a. Regerit autem nobis Vaud.*  
*lib. 1. q. 1. ex Nov. 117. c. 1. §. 1. ibi: licentiam habeant, quocunq; modo vo-*  
*lunt disponere, & ibi: gubernationem &c. Resp. Tota illa Nov. loqui-*  
*tur de dispositione inter vivos, ut apparet ex istis verbis Novel-*  
*læ: Unde græcum textum inspiciamus, qui non habet ἄλλοτε-*  
*ρας, quæ vox ad testamentum refertur, sed διοικῆν, quod admi-*  
*nistrare significat, à quâ ad dispositionem per testamentum in-*  
*ferre non licet, tanquam à minori ad majus per Everhard. in top.*  
*2. Refragatur nobis l. fin. §. 5. vers. filiusam. C. d. bon. quæ lib. Resp.*  
*Argumentum à contrario sensu deductum, in jure quidem non parvi*  
*ponderis æstimari, ubi id rei necessitas, & circumstantiarum*  
*qualitas svadent, perdere autem vires, ubi aliqua exinde resul-*  
*tat absurditas, & quando in casu contrario est expressa contraria*  
*juris dispositio Mynsing. 1. Obs. 8. & respons. 6. n. 82. & seq. Sichard.*  
*ad l. 5. n. 3. C. d. jur. dot. & pulcerrimè Bonacoß. in Com. op. verb.*  
*augmentum, quod hujusmodi argumentum à contrario sensu,*  
*non procedat in verbis negativis Schneidw. tit. Instit. quib.*  
*non est permiss. &c. n. 11. Don. 6. Com. 1. Vult. & ibid. Duar.*  
*in ff. Hackelm. ad tit. de transact. p.*

2. q. 1.

B

Quæst.



## Quæstio V.

*Utrum damnati ad mortem hodie possunt  
testari?*

Illos testamenti factionem amittere, constat ex *l. 8. in fin.*  
& *l. 13. in f. qui test. fac. poss.* nisi miles ex militari delicto damna-  
tus sit. Nam huic permitti solet testari *l. 6. §. 6. d. injust. rupt.* Pa-  
ganus igitur ita condemnatus testamentum omnino facere ne-  
quit, & quod ante fecit, irritum redditur, nisi appellaverit *l. 13.*  
*in ff. h. t.* quia capite minuitur *l. 6. §. 8. d. injust. rupt. test.* & cum  
jus testandi non competit, nisi statum habentibus, h. e. civibus  
Romanis, & liberis hominibus. Est enim juris pub. *l. 3. qui test.*  
*fac. poss.* At damnati ad mortem, statim amittunt omnem civita-  
tem & libertatem, & fiunt servi pœnæ, hoc est sui supplicij *§. 1.*  
*Instit. d. cap. min.* Cui in perpetuum addicti manent *l. qui ultimo*  
*29. l. quoad statum 12. 23. 24. ff. d. pœn.* & cum damnati non habent  
bona, de quibus testari possunt: cum olim indistinctè bona nun-  
cupabantur *l. 4. 6. & t. t. d. bon. damn. hodie tum demum, si neq; li-*  
*beri, neq; parentes extant Auth. bona damnator. C. d. bon. damn.*  
*Schneid. in §. fin. Instit. quib. non est permiff. fac. test. Cail. 1. d. pace publ.*  
*6. 19. n. 8. Vasq. 3. illustr. contr. 96. Foman. disp. 14. Instit. th. 12. lit.*  
*h.* Adversari autem videtur, *Auth. sed hodie C. d. don. int. Vir. & ux.*  
ex quo text. patet, novo jure neminem effici servum pœnæ, &  
*in Auth. bona C. d. bon. damn.* sancitum, non amplius publicari bo-  
na damnatorum, excepto crimine læsæ Majestatis. Resp. In his,  
qui liberos & parentes non habent, manet jus verus, ut damna-  
torum bona publicentur *d. Auth. bona.* Si verò damnati non de-  
stituantur descendentes, vel ascendentes, liberi & paren-  
tes illa bona obtinent *Nov. 134. c. ult. Diss. ulterius Stephan. illustr.*  
*quest. cent. 2. quest. 54. Förster. illustr. q. 5. decis. 9. Ves. in par. n. 13. d.*  
*1. & c.* Hodiè autem ferè ubiq; contrarium observari, & damna-  
tos ad mortem, facere testamenta, docet *Julius Clarus de testam.*  
*q. 21.* Quodq; publicatio bonorum hodie non sit in usu, sed bona  
damnatorum ad mortem relinquuntur heredibus, nisi commif-  
lum



sem sit crimen læsæ majestatis, habet *Beust. ad l. admonendi n. 494 d. jurejur.* Quæ sententia probatur per *Constit. Elect. p. 3. constit. 6. in his verbis*: Das die jenigen/ so auch gleich in todes straff verdamm- met/ vnd verurtheilet/ ihrer Güter halben/ vnd von allem dem/ so sie nach ihrem Tode verlassen werden/ Testament machen/ vnd in ander wege durch beständige letzte willen freystige verordnung auff- richten mögen / jedoch wollen wir damit nicht gemeinet / sondern außgeschlossen haben/ wenn die Vbelthäter nicht allein zum Tode/ sondern auch zur *confiscation* aller ihrer Güter verdammiet worden/ *Ves. in par. n. 13. ff. qui test. fac. poss. Petr. Gregor. Tholos. 42. syntagm. 8. n. 11.*

## Quæstio VI.

*An in testamentis regulariter adhuc septem testes requirantur?*

Quod expressè probatur per § 3. *Inst. h. t. l. 8. C. d. testam. & per l. si unus 12. C. eod. ubi dicitur, si deficiat unus testis de septem quod testamentum sit ipso jure nullum; quiq; numerus dicitur solennis l. heredes in pr. qui test. fac. poss. Atq; hoc non facile putabimus correctum, utpote cum omnes correctiones odiosæ sint, adeoq; non præsumuntur per ea, qua tradit *Schrader. d. feud. p. 10. sect. 4. n. 18. sect. 13. n. 14. per l. un. C. d. in offic. test.* Et quoniam testamentum est voluntas perfecta: congruit igitur etiam numerus perfectus *D. iur. h. d. testam. n. 420. & seqq. Vult ad §. possunt Inst. n. 28. Eam a. ob causam, quòd Romanis ira placuerit. Cum quo sentit *Forcatul. dial. 14 n. 8. 2. Imperator in l. fin. C. d. fidei commiss.* hanc dat rationē, ne videlicet quid falsitatis incurrat per duos fortè testes compositū testamentū: Quam rationē innuit etiam *Covarruv. ad c. cum esses d. testam. in 6. quod capit. Forster. in tract. ult. p. 124. existimat, in terris Imperij non amplius vendicare locū, ne testatur *Everh. in top. in lo. à ratione legis larga & c.* Sed quoniam falsitatis isti etiam per quinq; 6. 8. 9. aut 10. occurri potuisset *Arum. disp. Inst. 7. th. 10.* Ideò, illà ratione rejecta, hæc est, quia veteres***



peculiarem *ἐπέγγραψαν* huic numero adscripserunt, qui etiam re-  
 lationis sacrarum literarum perfectionis significativus fuit:  
 Unde etiam sacer dicitur, & perfectionis *Dauth. d. testam. n. 420.*  
*vid. Danaum in Ethic. Christian. lib. 2. c. 10.* quia Deus septimo die  
 quievit. *Vid. Cramer. disp. Instit. ii. th. 20.* Et septenarius numerus  
 novissima Imperij constitutione confirmatus est, in Comitij  
 Colonienfib. sub Maximiliano habitis Anno Christi 1512. *subit.*  
*von Testamenten §. vnd sollen Dauth. d. testam. fol. 448.* Objici  
 nobis posset *Nov. Leon. 41. Resp.* quivis enim scit, quam autori-  
 tatem habeant istæ Nov. quæ tantæ autoritatis non sint, ut de-  
 rogent juri Iustiniano. Nec juvat *c. cum esses Extr. d. testam. Resp.*  
*Covarr. ibi sermonem esse de provincijs, Romanæ Ecclesiæ*  
*subjectis: Et rationem ejus dat Connan. Foman. in disp. Instit. 14. th.*  
*5. in not. lit. B.* De jure Canonico autem duo testes cum Pastore  
 ministerij sufficiunt: cum in ore duorum, de jure Canonico &  
 divino, consistat omne verum, quod & de jure civ. regulariter  
 verum *l. 12. d. testib. nisi specialiter exceptio detur, ut in l. 1. d.*  
*opt. leg. l. 17. C. si cert. pet. vel quinq; l. f. C. d. testam. vel septem,*  
*in hac materiâ, vel octo, ut in l. 8. C. qui testam. fac.* Quatenus igitur  
 exceptio in jure civ. probatur, eatenus ab illa regulâ juris  
 divini & Canonici, item naturalis receditur *arg. l. 6. ff. d. l. & l.*  
*& ibi Dd. & arg. l. 1. ff. d. Vsup. ubi VVes. & Duar. eod. loc.*

## Quæstio VII.

*An tempore pestis septem testes requi-  
rantur?*

Hæc quæstio satis est controversa, & quamvis dispu-  
 tando obtineri possit, etiam pestis tempore septem testes neces-  
 sarios esse per *l. 8. C. d. testam. quæ sc. de solennitatibus* quidem  
 quid sit relaxatum, ne illis simul convenire oporteat, non verò  
 circa numerum septenarium testium *Don. ad. d. l. 8. C. d. testam.*  
*Fachin. l. 5. c. 92. Cramer. disp. ii. th. 21. & Arum. disp. 7. th. 11.* De  
 communi tamen *Dd. sententia* pauciores requiruntur *Mynsing.*  
*cent. I. obs. 96. n. 7. Br. in l. naturaliter ff. d. Vsup. Et secundum il-*  
*lam,*



lam, utpote humaniorem opinionem sapius judicatum fuisse, tradit *Craß. quæst. 14. n. 5.* Quin imò si testator, peste correptus, vel domus ipsius infecta, sustineri testamentum, coram duobus, vel tribus testibus conditum, Camera Imperialis pronuntiavit *Geil. lib. 2. obs. n. 18. Myns. d. obs. 96. n. 1. & 8.* Hinc *Vult. in methodo lib. 1. c. 37. n. 26.* docet, in testamento pestis tempore facto, quinque testes, si testator peste non correptus, & duos sufficere, si peste correptus, & domus testatoris infecta &c. quantum solemnitatem attinet, testamentum subsistere. Et in casu necessitatis plerumq; receditur à regulis juris communis *l. Consensu C. d. repud. l. 40. d. LL.* Et hæc opinio fundata est in necessitate. Objicitur nobis *l. 8. C. d. testam.* Hanc *l.* respondet *Boer. secutus Connan. 9. comm. 2. n. 2.* de testamento, tempore pestis confecto, exaudiri non debere, sed de eo casu, quo ipso tempore testamenti faciendi vel ordinandi, aliquid improvisum supervenit, quod continuationem actus interrumpat *arg. verb. Casus majoris, ac novi contingentis ratione,* quæ de casu pestis intelligi non possunt, ut ita vox contagionis aliquantò generalius accipiatur. Cum hæc nostrâ sententiâ consentit etiam *Consult. Saxon. part. 29. 31. Item Constit. Elect. p. 3. q. 4. in verb. Wann einer/ so an der Pestilenz lieget/ oder in dessen Behausung solche Seuche regieret/ ein Testament vor drey oder zween glaubwürdigen Zeugen gemacht/ das solch Testament/ so viel die solemnitet der Zeugen anlanget/ zu recht vor bestendig zuerkennen etc.* Quod & receptum à *Republ. Francofurt. ad Mœn. teste Refor. p. 4. t. 1. §. 3. & Norica tit. 29. §.* Aber in der Zeit. *Geil. 2. obs. n. 18. Dauth, d. testam. n. 424. Boer. decis. 228.*

## Quæstio VIII.

*Quid de rusticorum testamento statuendum; num & ibi septenarius numerus requiritur?*

De consuetudine in provincijs Saxon. pronunciari solet  
A 3. super



Super ultimis voluntatibus paganorum juxta *d. c. cum effes Extr. d. testam.* puta, quod si talis dispositio per rusticum coram duobus testibus & presbytero facta sit, eam valere. Ita responderunt Lipsenses Senatui Gothano anno 58. ut habetur *decis. 227. & 438. vol. 2. decis. Coler.* Moti procul dubio, quod in pagis quasi impossibile sit, observare solennitates juris, propter defectum Notariorum aliosq; qui sunt legales. Unde necessum foret, infinitas paganorum ultimas voluntates corruiere, non observatis solennitatibus *contr. l. 1. C. d. SS. Eccles. Coler. decis. 35. vol. 1. n. 4. Gomas in l. Tauri n. 24. & seq. & in §. Und sollen Constit. Imper. Anno 1612. promulgata vers. item,* legitur vnd auff dem Plan/wo Bawers/leute Testament machen/ vnd mehr Zeugen nicht zubekommen werden/ auffss weinigste fünf Zeugen zugebrauchen/ Unde patet, in testamentis rusticorum quinq; testes sufficere. Sic in *l. f. C. d. testam.* dicitur, quod in illis locis, ubi non reperiuntur homines septem, vel ut habet *Constit. Colonienf.* auff den Gute siue ruri, sufficiant quinq; testes. Ac rustici testamentum in pago conditum, in quo quinq; testes adhibiti erant, validum esse, pronuntiatum fuit *lenæ in Scabinatu 18. Febr. Anno 1602.* per ea, quæ habet *Cras. ad §. testamentum n. 6. & Jul. Clar. ad eadem §. q. 56. Petr. Magdal. in tr. d. num. test. in testam. requis. Riminal. in §. f. n. 73. cum seq. Instit. d. testam. Foman. diff. 14. th. 7. lit. h.*

## Quæstio IX.

*An testes annulo saltem, an verò quovis Sigillo subsignare possint?*

Ad solennitatem testamenti requiritur etiam, ut testes specialiter ad testamenti actum convocati testamentum obfignent, & subscribant. Controvertitur autem inter Dd. de sigillo. Sunt, qui statuunt, non solum annulo, sed & quovis alio, cui signum inculptum est, testamentum obfignari posse. Alij verò præcisè anulum signatorium requirunt *per l. 22. §. 5. ff. qui test. fac. poss.* hanc etiam esse mentem *§. 5. Inst. d. testam. ordin.* quod



quòd variè homines signent: Ut igitur varietas illa, quæ incertitudinem parit, absit, ut abesse debet, statuit Ulp. tantum annulo fieri posse obfignationem testamenti; Quæ verba sunt exclusiva. *Cramer. disp. 11. th. 22.* Et res ipsa satis loquitur non posse signari, vel ligno, vel lapide, aut alio quocunq;, nisi *χαρακτῆρ* habeat insculptum. Subjicit autem hanc exceptionem I Crus, ut distinguat inter annulos, quibus imago quidem insculpta est, sed ornamentum tantum, non signandi causa, & inter annulos signatorios: Unde etiam requirit Ulp. ut annulo sit insculpta imago non quævis, sed signi: Et sic non tam hoc spectari, an signum sit annulus, quam, num testis signum in eo sculptum reperiat, & signandi causa testamenta id aliàs usurpare soleat *ob Const. Maximil. Colonia Anno 1512. tit. von Testamenten vnd die Forme etc. promulgatâ in verb. durch einen jeden/ der sieben Zeugen zu unterschreiben/ vñ mit ihren gewöhnlichen signeten zusiegeln/ Secus si testis habeat duo vel plura signa, non eandem formam exprimentia: tum enim id sumat, quo frequentissimè literis signans utitur Hottom, ad §. 2. n. 5. h. t. & obs. 20. lib. 1.* Obij: quod de consuetudine quodvis signum admittatur *per Constit. Imper. von Notarien/ sub rubr. von Testamenten. Resp. Hæc & consuetudinis, & legis posterioris sunt corrigentis ea, quæ antea fuerunt constituta. Nos verò de jure Justinian. scripto loquimur. Poterit & aliter responderi, prout in discursu, Deo dante, videbimus Duar. ad h. t. ff. sub Rubr. d. testam. Cujac. 14. Obs. II. Dauth. ad l. 22. §. signum qui test. fac. poss. Foman. disp. Instit. 14. th. 5. lit. E.*

## Quæstio X.

*Num Præteritus totum testamentum infirmet, etiam quoad legata?*

Publice expedit, suprema hominum judicia exitum habere *l. 5. ff. d. testam. quem ad aper. imò testamenta ex naturali hominum affectione rata sunt Tull. lib. 3. de fin. Ceterum testamentum in quo liberi à parentibus silentio præteriti sunt, ab initio statim nullius esse momenti, ac pro infecto haberi, constat ex l. 30. ff. d. lib.*



lib. & posth. l. ult. circa f. C. d. lib. prater. pr. Inst. d. exhered. lib. & ibi  
Dd. Schneid. Vves. &c. Sed hic quaeritur, utrum de toto testamen-  
to, omnibusq; in eo relictis, an vero de heredis institutione in-  
telligendum sit? quod posterius volumus per Auth. ex causa C. de  
lib. prater. In qua Justin. ex causa, ait, exheredationis, vel prateri-  
tionis irritum esse testamentum, quantum ad institutiones, cæ-  
tera namq; firma manent, eam ob causam: cum Imperatori so-  
lummodò animus fuit, à liberis prateritionis injuriam aufer-  
re Nov. 115. c. 3. & 5. Fit autem injuria filio praterito, vel exhere-  
dato, solummodò quo ad institutionem Geil. 2. obs. 113. n. 1. Don. in d.  
Auth. ex causa n. 7. & 8. & 9. Com. 10. fol. 307. Duar. ad tit. ff. d. injust. rupt.  
test. Sed negat Ant. Fab. 20. error. pragmatic. 4. eumq; secutus Gilken.  
in Auth. ex causa C. d. lib. prater. ex hujusmodi testamento, quod ob  
prateritionem paternam nullum est, quicquam deberi, illudq;  
non solum, quoad heredis institutionem, sed & quoad legata,  
ceteraq; in testamento relictæ, nullius esse momenti: quia te-  
stamentum, in quo filius à patre prateritus, ipso jure nullum  
est d. Nov. 115. c. 3. 4. & pr. Inst. d. exher. lib. Resp. Nullum est quoad  
heredis institutionem, non vero quoad legata d. N. 115. c. 3. vers. si  
autem hæc & Auth. ex causa C. d. lib. prater. Nec quicquam etiam mo-  
vet, quod Dissidentes objiciunt: eundem in Paganis testato  
& intestato decedere non posse l. jus nostrum 7. d. R. 1. §. 5. Inst. d. he-  
red. testit. Resp. id quidem ab initio fieri non posse, sed tamen ex  
postfacto Borch. in pr. Inst. quib. mod. contrah. oblig. Et cum nobis  
consentit etiam constit. Elect. p. 3. const. 9. in verb. Jedoch wann der te-  
stator in seinem letzten willen/ verba communia, vnd solche Wort ge-  
brauchte / ic. & in verb. Das im zweiffel die verba communia pro insti-  
tutione directa gehalten werden sollen / damit die Testament / so an  
ihm selbst favorabilia sind / bey kräftten erhalten werden / & in verb.  
Vnd doch nicht desto weniger die legata denen / re. Reyer. in  
thesauro juris lit. T. pag. 940. n. 125. Vves. cons. 85.  
part. 2. n. 19. Geil. 2. obs. 113. n. 1.

Moniti, juvante Deo, meliora se-  
quemur.



Wittenberg. Diss. 1613/23

V. 17


ULB Halle

3

002 673 304











QUÆSTIONVM  
CONTROVERSARVM  
MATERIAM TESTAMEN-

tariam concernentium.

DECAS SEPTIMA.

Quam

SS. Triados adistente gratiã

In florentissimã VVittebergensium Academiã

PRAESIDE

Dn. IOHANNE Reuter/ Bitterf.

Saxone,

Ordinarij exercitij gratiã

Nobilissimis & Præstantissimis suis Collegis ven-  
tilandam exhibet

LUCAS Von Berge

Servesta-Anhaltinus.

Die 10. Octobr. Anni Iubilæi 1618. horisã

7. matutinis loco solito.

VVITTEBERGAE,

Typis Müllerianis.

14  
22  
1618  
3

Clarissimo, omnique  
Virtutis atq; eruditi  
laude conspicuo Viro  
M. Petro a Kena Se-  
la patriæ Rectori &  
quissimo, Praeceptorum  
Idem, nunc Fautorum su-  
singulariter colend  
mittit Rogans.